

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Dissertationes refutatoriae synodalis ab Heinrico Heideggero professore Tigurino adversus sacras**

**Reding, Augustin**

**Monasterii Einsidlensis, 1669**

Dissertatio XIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-162659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162659)

## C. DISSERTATIO XIV.

*An Sacelli Einsidlensis consecratio Divina superstitionis arguenda sit, eò quòd Christus, ac Cœlites dicantur in eâ imitari ritus Pontificios?*

I. **H**Eideggerus *cit. S. arg. 3.* ita procedit : Scriptura damnat omnem superstitionem, præcepta, & doctrinas hominum. *Act. 2. cap. v. 22. & 23.* Atqui Dedications templorum pontificiæ, & ritus, quos Christum & sanctos Cœlites in Sacello hoc imitatos cõtendunt, cum mandato Dei minimè omnium nitantur, meræ superstitioni deputari debent.

II. Doctõr hic Tigurinus in efformandâ istâ syllogisticâ consequentiâ suam Dialectices imperitiâ nimis apertè prodit, dùm longè pluribus, quàm tribus terminis utitur, medium etiam terminum ponendo in ipsâmet conclusione. Unde prorsus inepta est ejusmodi consequentia. Sed paulisper abstrahendo

do à formâ , libeat discutere materiam. Ait Heideggerus, scripturam damnare præcepta & doctrinas hominum. Bone Deus! si hoc sit, actû est de Republicâ & Ecclesiâ Tigurinâ, actû est de omnibus Synodi Tigurinæ constitutionibus. At perperam legit ille Doctor: sacra enim scriptura *loc. cit.* non quamlibet hominum doctrinam, & mandata damnat, sed quæ sunt de superstitiosis observantijs, qualium ibidem Apostolus mentionem facit. Sic ergo, quæ *restrictivè* ad humana superstitionem importantia mandata limitat scriptura, hæc *divisim* accipiendo Heideggerus, in signe ad decipiendas pias & simplices mentes sophisma committit. Nec minorem inducit fallaciam, dum asserit, meræ superstitioni deputari, quicquid Dei mandato non nititur. Nunquid Heideggere, ad excludendam superstitionis notam sufficit aliquid niti *saltem virtualiter* Dei mandato, eoque vel naturali, vel positivo? Aliàs enim præcepta magistratûs Tigurini

rini plerumquè forent arguenda de superstitione. Ostendas igitur, oportet, Dedicaciones templorum Pontificias, & ritus, quos Christus ac Cælites in Sacelli Einsidlensis dedicatione tenuisse probantur, non posse *saltem virtualiter* reduci in mandatum Dei sive naturale, sive positivum.

III. Sed audiamus, qualiter hoc probare nitatur Heideggerus. Non equidem, inquit, ij sumus, qui precationem ad Deum sub novi templi ingressum absque superstitione, & ad ipsius gloriam factam improbemus, aut reijciamus. Novimus quippe, talia sanctificari oportere *per sermonem & preces. 1. Timoth. 4. v. 5.* sed negamus, Pontificios, quibus in Templorum Dedicatione utuntur Episcopi, ritus, quales sunt, quòd duodecim cruces pinguntur, totidem faces accendantur, templum clauditur, aperitur, Græcumquè Alphabetum cineribus in pavimento sparsis, baculo Episcopali ab uno angulo ad alterum ita inscribuntur,  
ut

ut unam crucem constituent; ex iisdem cineribus cum aquâ, vino, salequè mixtis, mistura quædâ instituitur, quâ templum aspergatur, aliaquè ejusmodi anilia deliramenta, vel in Verbo Dei mandata, vel antiquitati puriori usitata fuisse. An igitur putabimus, Christum Sacellum Einsidense dedicantem, se subjecisse his cæremonijs ineptis & inutilibus.

IV. In aperto est, istam Heideggeri probationem stare in solâ negatione, nō autem in argumentatione. Insto tamen adversus ipsum, quærēdo, utrū agnoscat in Ecclesiâ potestatem Divinitus concessam determinandi preces, atq; cæremonias accidentarias, tum in Sacramentorum administratione, tum in Ecclesiarum consecratione, aliarumquè rerum benedictionibus adhibendas? Si affirmet, in confesso est, tales ritus esse *virtualiter* ex Dei mandato, sive autoritate Divinâ. Si verò neget, rogo ex ipso, quomodò Apostoli *Act. 15. v. 28.* abstinentiam à carnibus suffocatis, (quæ erat aliquod

quod legis veteris cæremoniale) non quidem sub propriâ antiqui Testamenti significatione, sed sub aliâ formalitate imposuerint fidelibus? Quomodo in Concilio Tangrensi, referente Gratiani Decreto *cap. 13. dist. 30.* & in Concilio Toletano referente Baronio *To. 9. ad Annum Christi 801. n. 18.* & *To. 10. ad Annum 845. n. 38.* similia cæremonialia præcepta, sub significationibus tamen à veterilege diversis institui potuerint? Et quia Heideggerus ipse fatetur, oportere sanctificari templa nova per sermonem & preces, quæro ex ipso, quomodo Ecclesia Tigurina, cum non ab ipsomet Christo habeat definitos ejusmodi sermones, statuere potuerit determinatas preces suorum templorum consecratorias? Vides igitur, ipsosmet Ecclesiæ Tigurinæ ministros nolentes volentes fateri debere, in Ecclesiâ esse potestatem determinandi modum, adeòque ritum templorum novorum consecratorium. Quo igitur jure superstitionis arguitur Romana Ecclesia,

clesia, dum in templorum suorum sanctificatione, Sacramentorum administratione, aliarumque rerum benedictione utitur ritibus in veteri Orthodoxâ Ecclesiâ usurpatis?

V. At negat ille Tigurinus Doctor, ejusmodi ritus antiquitati puriori usitatos fuisse. Verùm Heideggere, si sanctum Augustinum *Epist. 23. ad Bonifacium. Confess. lib. 1. cap. 11. & de Cathelbiz. rudib. cap. 20. item Tract. 36. in Joannem. & alibi legisses, te falsitatis in hoc dicto esse convictum facile deprehenderes, ipsomet etiam Galvino & Bullingero *Decad. 5. serm. 8. S. Tertullianus*, attestantibus, sanctum Augustinum varijs in locis à se citatis asserere, quòd tales caremonia circa Baptismi administrationem (idem proinde jus est Ecclesiæ de statuendis ritibus in templorum dedicatione usurpandis) à sanctâ veteri Ecclesiâ in vniverso mundo fuerint observatæ. Et verò mirum est, cur Heideggerus illum in crucibus formandis ritum specialiter insectetur, cum*

cum tamen Calvinus *lib. 4. instit. cap. 17. sect. 23.* Petrus Molinaeus *lib. 5. cap. 33. anath. Missæ.* affirmet, hujus ritus in Ecclesiâ veteri, in sanctificationibus præsertim multiformiter adhibiti testem esse sanctum Augustinum. Unde dum Figurinus hic Professor tales ritus dicit anilia, seu superstitionosa deliramenta, in hoc imitatus est Calvinum præallegatû, qui non erubuit, ut assereret, Augustinû inter symbola præsentia Christi numerasse supersticiosum crucis ritum. Calumnia igitur est, quod cæremonias illas novitia superstitio, & Gentilismi æmulatio præpostera dictârit. Nec obstat, quod cæremonia *materialiter* similes sint observata à Gentilibus in suorum idolorum adoratione: nam rituum ejusmodi sensibilem forma est intentio eorundem vel ad verum, vel ad falsos Deos directiva, quæ, cum in Ecclesiâ Romanâ toto cælo distet ab illâ Ethnicorum intentione, nequit sancta antiquitas calumniosè argui de Gentilismi æmulatione, sed meliori



liori jure convitium istud retorqueri  
 posset, siquidem Gentilismus se tenuerit  
 in ministerio sathanico: ipsemet autem  
 Lutherus apud Scultet. Dec. I. ad An-  
 num 1525. pag. 252. ob notam de Ccenâ con-  
 troversiam, dixerit, oportere alterutros mi-  
 nistros sathana esse, vel ipsos, scilicet Zwin-  
 glianos, vel se, nimirum Lutherum.

VI. Si proinde Christus adhuc Viator  
 non tam ex necessitate, quàm ex autho-  
 ritate ad Legis Mosaicæ Divinam insti-  
 tutionem probandam se hujus ritibus,  
 ac cæremonijs subjecit, cur Christo jam  
 Triumphatori non foret potestas, ut ta-  
 lem authoritativam cæremoniarum à  
 sponsâ suâ Ecclesiâ institutarum appro-  
 bationem faceret, utendo ejusmodi riti-  
 bus tum per se ipsum, tum per suos mi-  
 nistros Angelos, quemadmodum in Sa-  
 celli Einsidensis Divinâ consecratione  
 factitatum Sanctus Conradus in Bullâ  
 Leonis VIII. dicitur attestatus, asserendo,  
*Angelos tantum eundem, & ordinem, cæremo-  
 niasque in Sacelli Deiparæ consecratione habu-  
 isse.*

isse, quas in dedicationibus Ecclesiarum Episcopi  
usurpant.

## DISSERTATIO XV.

Quibus caeremonijs fuerit Sacellum  
Einsidlense à Christo Domino conse-  
cratum?

I. HOS ritus ex sancti Conradi libro  
*de Secret. Secret.* desumptos ex par-  
te, non absque tamen suo consueto con-  
vitiandi modo Heideggerus *cit. S. 19.* re-  
censet in hæc verba. Nempè in thuri-  
bulis aureis thus ministrarunt Angeli,  
putà Angeli Custodes tum Sacelli ejus,  
tum Monasterij Einsidlensis, tum Hel-  
vetiæ universæ, ac finitimarum regio-  
num, ut asserit Redingus: Beatus Gre-  
gorius extitit minister de stabello, adeo-  
que Sacellum aspersit aquâ benedictâ in-  
tra Sacellum ab Humanitate Christi in-  
stanti productâ: Christus Sacellum  
& altare oleo & chrysinate unico vo-  
luntatis suæ nutu ex aere facto inunxit:  
idem Missam celebravit, & contactu al-  
taris